

riam illam post Deum proximam, & creaturis reliquis superiorrem facit, cum ait: *præ cæteris omnibus adeptus est*: additque, esse *regiam, & summam* in creaturas potestatem. Uti vero scripturam, symbolumque, in eo sequitur dum Christo, ut homini, sessionem tribuit; ita ab ea recedit, cum dextram, non virtutem ipsam Dei, sed gloriam post Deum, cæteris creaturis eminentiorem, interpretatur.

Thomas : §. 40. Thomas vero, part. 3. Quæst. 58. sessionem, non præ-
Sedere eunte ulla scriptura, exponit. Dubium proponit: *Christus si secundum*
Ad, *quid dum quod Deus, sedet ad dextram Patris, pari ratione & Spiritus Sancti*
importet? *Quis sedebit ad dexteram Patris & Filii &c.* Illud solvit & respondet: *nullo modo potest dici, quod pater sedeat ad dextram Filii vel Spiritus Sancti, quia filius & Spiritus Sanctus trahunt originem a Patre.* (Scripterat: *hæc præpositio, ad, quæ transitiva est, solam distinctionem personalem importat, & originis ordinem.*) *Sed Spiritus Sanctus PROPRIE potest dici, sedere ad dexteram Patris vel Filii &c.* Matthæus Kellisonus Comment. & disp. in 3. part. Q. 58. art. 2. p. 438. *Spiritus S. DICITUR sedere ad dextram Patris & Filii, &c.* Ubi vero Spiritus Sanctus *dicitur* sedere ad dextram Patris & Filii? Et, qua ratione, potest id *proprie* dici? Phrasis certe hujus & usus, & proprietates, ex sola sacra scriptura hauriri debet, & explicari. Commendabit se tamen simplicitas orthodoxæ fidei, vel per hanc disputationem ipsam. In sessione hac, eadem *divina* potestas requiritur, additurque *originis ordo*. Scripturam secuti agnoscimus in sessione ad dextram Patris 1. eandem divinam potentiam, 2. eam communicatam. Communicatam autem in tempore, & post ascensionem, & Christo ut homini. Ita vel in ipsa fictione illa, aliqua veritatis umbra reperitur.

Thomas §. 41. Dividit ergo Thomas in duo, id quod unum & simplicissimum est. Hinc art. 3. scribit: *Christus secundum quod Deus, sedet ad dextram Patris, id est, in æqualitate patris: secundum autem quod homo, sedet ad dextram Patris, id est, in bonis paternis potioribus præ cæteris creaturis, id est, in majori beatitudine, & habens judicariam potestatem.* Atqui sessio una simplexque est. Quæ æqualitatem,
Sessionis
gloriam
partitur.